





Antiqu.
1778
Lofophica.
1778

Ba
30. II







29
D. O. M. A.
DISPUTATIO SEPTIMA
Centuriæ septimæ

QVAESTIONVM
ILLVSTRIVM PHILOSO-
PHICARVM,

*In incluta VVittebergensi Academia
proposita,*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI LO-
gic. Profess. P. & p. t. Facult.
Philosoph. Decano,

RESPONDENTE

IOANNE IEGER
Tyrigeta

9. Calend. Decembris horis locoq̄, consuetis




WITEBERGÆ,

Excusa per M. Georgium Mullerum, Sumptibus
Pauli Helvvigij Bibliop.

QVÆSTIO I.

An differentia ratione aliqua genera aut
Species sint ?



Ans ¶ affirmans questionis huius à multo probatur, fretis rationibus sequentibus. 1. sensitivum est universale, si consideres illud in rationalitate: & irrationalitate: predicatur enim de illis in questione quid est, tanquam de differentibus specie: non autem predicatur in questione quale est, tanquam de solo numero differentibus.

2. Propria & accidentia non solum habent rationem priorum & accidentium comparatione subiectorum, quibus accidunt; Verum etiam alia respectu aliorum sunt vera genera & species; Ergo etiam Differentia essentialis eiusdem categoriæ, quæ latius patet, sunt genera minus latè patentium, & hæc vicissim illarum species.

3. Ut se habet animalitas ad humanitatem, ita sensitivitas, ut sic loquamur, ad rationalitatem: Atqui animalitas est genus humanitatis: Ergo & sensitivitas rationalitati.

4. Negari non potest, Differentias latius patentes esse genera earum rerum, quæ complicantur sive coniunguntur ex utroque, ut sensitivum est genus sensitivi rationalis & irrationalis sensitivi: & vicissim hæc illius species. Nam animal contrahitur per rationale & irrationale, ad constitutionem animalis rationalis & animalis irrationalis, quæ sunt illius species: Simili ratione videtur omnino sensitivum ad sensitivum rationale & sensitivum irrationale contrahi posse, quæ eodem modo se habent ad sensitivum, ut animal rationale & animal irrationale ad animal.

Econtra ¶ verò plures reperiuntur, quibus contraria arridet sententia, moti rationibus validissimis subsequenter.

1. Quodcumque à veritate abluere videtur, illud non esse statuumendum censemus. Atqui res, latius patentes, statim esse genera minus latè patentium à veritate abluere videtur. Ergo non statuumendum. Minorem probamus quia non pertinent ad earum essentiam. Si enim pertinerent, ea profectò, quæ latius patet, his includeretur in specie constituta per minus latè patentem, ut sensitivum se-

mel

vel ratione animalis, in quo revera includitur, & iterum ratione ipsius
rationalis de quo essentialiter predicari statuitur, ut genus eius esse
concedatur. At hoc nihil ferme est absurdus, differentiam aliquamvis
includi in specie, ut est luce meridiana clarum.

2. Si sensitivum esset genus rationalis & irrationalis, utiq; contra-
heretur ad illa per alias differentias: siquidem nullum genus contrahi
potest ad suas species, nisi per differentias; que sint quidem extra essen-
tiam generis, compleant a. & absolvant essentias specierum: At si hoc
concedimus rursus querenda sunt alia, quib; illa contrahantur ad suas
species, & sic deinceps in infinitum. Cum igitur hoc non sit conceden-
dum, statuendum esse videtur; Differentias nulla ratione genera aut spe-
cies esse: Item rationale & irrationale non differri a se invicem per a-
lias differentias, sed esse primo diversas & ἀπλῶς simplices: quod
de nulla specie generis, eiusdem dici posse liquido patet.

3. Et si sensitivum latius patet quam rationale & irrationale per
se: tamen non est revera universale, respectu illorum, quia non predi-
catur de illis predicatione directa & per se, sed inversa & per accidens.
Non enim sensitivum est quasi forma rationalis & irrationalis, ut det
illis per seipsum aliquod esse, sed potius hęc sunt quasi formę illius, cum
illud determinant ad certam speciem animalis: non est igitur sensitivum
genus rationalis, & irrationalis, nec vicissim hęc illius species.

Quod \dagger Verò attinet ad argumenta sententię affirmativę, ad illa
R. & quidem ad 1. sensitivum non habet rationem veri universa-
lis, si consideres illud in rationalitate & irrationalitate, cum de illis
non dicatur directa & naturali predicatione, sed inversa & per acci-
dens, uti antea dictum.

Ad 2. Mirum non est, si propria & accidentia que latius patent,
possint esse genera minus late patentium, cum possint habere differenti-
as, quibus per se ad illa contrahantur; & que minus late patent, non sint
ἀπλῶς simplicia ut constitui non possint ex proprijs generibus & dif-
ferentijs. Vtrumq; autem deest differentijs latius & minus late paten-
tibus inter se collatis.

Ad 3. respondemus negando, ut se habet animalitas ad humanita-
tem: ita se habere sensitivitatem ad rationalitatem. Nam animalitas
nimirum rationalis, & sensitivitas non includitur in irrationalitate. Ra-
tionalitas enim cum sit gradus simplex additus animali, non potest in-
cludere sensitivitatem, que similiter est gradus simplex, additus nature
viventi sive animati corpori.

Ad 4.

Ad 4. respondemus & quidem ex ijs, quae iam dicta sunt. Neque enim ut animal contrahitur ad constitutionem animalis rationalis & animalis irrationalis per rationale & irrationales; sic sensitivum ad constitutionem sensitivi rationalis & sensitivi irrationalis, illud enim contrahitur per se, hoc per accidens.

QVÆSTIO II.

An Locus sit simpliciter necessarium corporis accidens.

Keckermannus in tractatu de Loco & Localitate affirmativam offerit. Distinguit verò inter Locum absolute sumptum, qui ipsi nihil aliud quam situs partium est corporis naturalis, certæ dimensionis & supra & infra, ita determinatū ne extra aut supra se ipsas & distantiam suam extendatur. Deinde inter Locum respectivè sumptum, & sic, inquit, est corpus, quæ mundi pars alteri contigua, atq; in hac significatione addit, Locum ab Arist. præcipuè considerari in 4. Physi. Hunc porò Ens concretum esse ait, ideòq; definiri non posse: illum verò Ens absolutum essentialemq; corporis naturalis proprietatem perpetuo inseparabilem definit. Hanc divisionem multis textibus Aristotelicis confirmare conatur, in quibus tamen omnibus pessimum crimen falsi committit: vel aliud querit & aliud probat. Quando enim probare debet, Locationem vel Locum internum, probat situm partium in toto. Quasi Aristoteli situs & locus unum idemq; essent, quæ tamen apud ipsum accuratè ut diversa distinguuntur. Statuimus itaq; divisionem illam Loci in absolutum & respectivum sive (ut alias etiam loquitur) inter internum & externum, figmentum Keckermannianum esse, quod nullibi in natura nisi phantasia auctoris suum esse & existentiam habeat. Nam locum internum esse, h. e. esse partem vel habitum sive accidens ipsius locati absurdum & Philosopho & rectæ rationi est. Et sic ita locum Ens quodammodo concretum esse, illum verò propterea nullo modo describi vel definiri posse negamus: licet enim non simplici tamen composita describitur definitione. Nam ut res est, ita admittit descriptionem. Quam igitur & verum statuimus definitionem Aristotelis, quando dicit, quod Locus sit $\pi \acute{\epsilon} \rho \alpha \varsigma \tau \acute{\alpha} \pi \epsilon \rho \iota \acute{\epsilon} \chi \omicron \nu \tau \omicron \varsigma \acute{\alpha} \lambda \iota \nu \eta \tau \omicron \upsilon \nu \pi \acute{\epsilon} \omega \tau \omicron \upsilon$ lib 4, phys. c. 4. t. 42.

Ex hac verò definitione intelligitur: Locum non simpliciter necessarium

Idcirco corpus accidens esse, sed saltem cum quadam conditione, nimirum quatenus ab alterius corporis superficie continetur: qua conditio si auferatur, locus etiam salva corporis manente essentia à corpore abesse potest. Docet hoc expressis verbis Aristoteles l. 4. phys. c. 5. t. 43. Ὅμῶν δὲ σωματὶ ἐστὶ τι ἐκτὸς σώμα περιέχον αὐτὸ, τὸ δ' ἐστὶν ἐν τόπῳ: ὡ δὲ μὴ ἔστι Atqui corpus quidem id est in loco, extra quod aliquod est corpus continens ipsum: quod verò non ita se habet non est in loco. Atq; hinc prima sphaera, seu primum mobile, quod Aristotelis sententia, nullo ambitur corpore, in loco non est: ὃ δ' ἄρα οὐκ ἐστὶν ἐν τόπῳ, ἔστι δ' ἐν τινὶ τόπῳ ἐστὶν, εἴγε μὴδὲν αὐτὸν περιέχει σῶμα. Caelum non est alicubi totum, neq; est ullo in loco, siquidem nullum ipsum continet corpus ibid t. 45. Et statim in subsequentibus t. 46. ex eodem fundamento colligit totum hoc uniuersum (sumptum nimirum pro tota corporea molis uniuersitate) nullibi esse. ἔστι δ' ἅπαν, inquit, ἔστι δ' ἅπαν, αὐτὸ τε ἐστὶν, καὶ ἕτερον τι δεῖ εἶναι παρὰ τὸ ἐν ᾧ ὁ περιέχει. Παρὰ δὲ τὸ ἅπαν καὶ ὅλον ἔστιν ἕξωθεν τῶ πάντων: uniuersum alicui non est: quod enim alicui est, & ipsum aliquid est, & aliud quid, in quo continetur, oportet esse: At extra uniuersum ac totum nihil est. Atq; ob eam causam addit in caelo sunt omnia. Non quod ipsum caelum sit locus, sed caeli aliquid, nempe extremum ac terminus, qui mobile corpus continet. Atq; propterea, concludit, terra in aqua est, haec in aere, hic in aethere & aether in caelo, ipsum verò caelum nullo in alio corpore est ulterius collocatum. Proinde cum quicquid mouetur, in loco moueatur, ex hoc fundamento concludit Philosophus. 43. Uniuersum partim moueri partim non moueri. Nō mouetur, inquit ut totum, quia, ut totum locum nō mutat: mouetur verò circulariter: quia hic motus partium est. Neque est, quod hic cogitantur caelum & alia corpora, si transferantur supra caelum esse in loco Metaphysico. Locus namq; Metaphysicus nihil est, aut si aliquid est, ubi erit, Locus verò nequaquam: cum non sit superficies, neque circumscribat, neque mensuret corpus locatum. Et consequenter, si aliquod corpus existat ibi, ubi superficies continens non est, tum certe concedendum est, corpus ibi & casus & eo respectu extra locum esse. Et iterum, si corpus quoddam

quoddam simul sit in superficie, & simul in aliquo, quod superficiem
caret; sequitur etiam respectu istorum duorum, corpus simul circum-
scriptive in loco esse, quatenus nimirum terminatur superficie conti-
nentis corporis, & simul in loco non esse, prout in eo esse dicitur, quod
superficiem non habet. Ergo eiuemodi corpus simul est finitum &
infinite, quod contradictionem implicat? Ita obijciunt illi, qui
magis suas opiniones, & captum nutumque vulgi, quam veritatem
sectantur. Eho, boni viri, quando tandem sapitis? quando tandem
rem intellegitis? Mala est consequentia, quam neclituri Lutherani
dicunt, Corpus Christi in $\lambda\omicron\gamma\omega$ est in non loco: Ergo est in-
circumscriptum, hoc est, ut vos interpretamini, nullo
modo circumscriptum, & per consequens infinite. O Quo-
ties nostri Doctores manibus, pedibus, publicis priva-
tisq; scriptis demonstrarunt $\alpha\tau\alpha\kappa\epsilon\lambda\epsilon\theta\alpha$ haec esse? Cir-
cumscriptio enim duplex est, interna & externa. Illa est de
natura proprijs terminis & finibus: haec localis & acciden-
taria. Quando itaq; per certam quandam conditionem
negamus, Corpus Christi in loco esse, nempe, quatenus
in $\lambda\omicron\gamma\omega$ est, cum ibi nulla omnino loci ratio sit; tum non
statim negamus internam & essentialem corporis cir-
cumscriptionem: quandoquidem hanc sine illa esse posse
ex haecenus disputatis manifestum est. Etenim A-
ristoteles quidem expresse negat Caelum & universum
in loco esse, interim tamen non negat Caelum & univer-
sum finitum & internis suis limitibus & terminis cir-
cumscriptum esse & manere. Corpora glorificatorum,
suntne vera corpora? Omnino. In priore enim ad Co-
rinth. 5. docemur, quod unusquisq; reportabit in corpore
sive bonum sive malum, quod fecit. Item, 1. Cor. 15.
v. 42. Seminatur corpus corruptioni obnoxium, excitatur
incorruptibile, seminatur ignominiosum, excitatur glo-
riosum. Et Augustinus lib. 13. de Civit. Dei cap. 22.

Etsi



Et si, inquit, sint corpora spiritualia, quia spiritu vivificante
subsistunt, non tamen corpora esse desinant. Et sicut Iob. c.
19. v. 25. testatur eadem nostra fore corpora, qualia hic fuerunt, Vt
idem quoque ex Daniel. 12. v. 2. Ezech. 37. v. 17. &c. patet: Cum igitur
eiusmodi corpora sint vera corpora, queritur, ubi sint, & in
specie, an in loco, & in quo loco sint Elias & Moses. Suntne in caelo, vel
in aere, vel in terra, vel ubi sunt tandem? Taceat hic Aristoteles: ex
scriptura res evolvenda est. Sic ergo argumentamur: In quod ubi ab
Angelis deportata est anima Lazari: ibi absque dubio sunt Moses & E-
lias: At qui anima Lazari non fuit deportata in terram, in aquam in
aerem, in caelum sive aethereum, sive, quod fingunt, Empyreum: sed in
sinum Abrahae. E. &c. Deinde quatenus sunt immediate in manu Dei, illa
non sunt vel in caelo vel in terra. At piorum anima & per consequens,
corpora glorificata sunt immediate in manu Dei. E. non sunt in caelo vel
in terra, hoc est, non sunt in loco naturali. Quod si verum est, ut est, ma-
net adhuc, quod verum substantiale & finitum corpus esse & subsiste-
re possit, etiamsi loco forissecus non circumscribatur.

Excipis absurdum esse, aliquid extra caelum subsistere? Hoc Aristote-
li absurdum non esse patet ex lib. 1. de caelo c. 9. Vbi omnino fides
nostra consentanea scribit, quando ait: Patet neque locum
extra caelum esse, neque tempus. Quocirca quae illic sunt,
neque in loco sunt, neque tempus senescere, ipsa facit,
neque ullius eorum est ulla mutatio, quae super ex-
tima disposita latrone; sed nullis alterationibus, nullis pas-
sionibus prorsus subjecta, optimam in universa sempiter-
nitate vitam & sufficientissimam habent. Hic ex scriptura sub-
sumimus, nempe quod glorificatis corporibus ista omnia recte attribu-
antur. Ergo secundum Aristotelem absurdum non est, id, quod de glori-
ficatis corporibus praedicat scriptura sacra. Quae enim tribuuntur gene-
ri, speciei quoque tribuenda sunt.

Idem quoque constat ascensione Christi & sessione ad dextram Dei.
Fide agnoscimus & confitemur. Christum suo sanctissimo corpore
ascendisse supra omnes celos, Ergo supra omnem locum: in illoca-
lem dextram Dei: Ergone negamus Christi corpus verum & in-
ternis suis limitibus circumscriptum, nobisque essenziale corpus esse?
Sunt quidem nonnulli, qui id nostris Ecclesiis affingunt, & eiusmodi
consequencias neclunt: sed sine ratione & sensu. Sic rem explicat Dn.
D. Aegidius Hunnius p. m. sup. Epist. ad Ephes. c. 4. pag. 314. Duplici-
ter

ter, inquit, circumscribi dicitur Christi humanitas: Vel lo-
co, vel naturæ suæ proprijs terminis. Illa circumscriptio
localis est, qua circūscribi debet caro alieno termino, h. e.
loco forinsecus ambiente. Hæc posterior essentia finitio
est, circumscribens humanitatem non termino alieno, sed
proprijs naturæ finibus, quatenus ipsa humanitatis natura
non infinita, sed finita esse intelligitur. Priorem circum-
scriptionem localem diximus supra in explicatione c. i. es-
se merè accidentariam, quæ tolli possit per vim divinam
salvo manente corpore. Altera circumscriptio, quæ ipsius
naturæ & essentia finitio est, nunquam tollitur, **NEC QVI-
DEM IN VNIONE ET SESSIONE AD DEXTRAM DEI.** Si-
quidem perpetuò finita est, finita manet, suæq; essentia cir-
cumscripta finibus, quando cunq; & ubicunq; tandem spe-
ctetur: non minus quam cuiusq; hominis Petri, Eliæ &c.
corpus finitum est. Atq; huc respexit Damascenus, cum
scribit, eandem naturam non esse posse circumscriptam &
incircumscriptam, h. e. finitam simul & infinitam. **ID
QVOD NVLLVS NOSTRVM DIXIT VEL SCRIP-
SIT VNQVAM.** Atq; ita partim fundamentis Physici, partim
etiam Theologici satè superq; demonstratum esse confidemus, **Locum
non esse de simplici necessitate corporis naturalis.**

QVAESTIO III.

An artes omnes ac scientiæ experientia
gignantur.

Experientiam † in rebus humani plurimum valere non ignoramus.
Id ò hæc una artium omnium, quoad eorum inventionem mater & ge-
nitrix nõ immeruò appellatur ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τεχνῶν ἐποίη-
σεν, ἡ δὲ ἀπειρία τύχῃ ait Aristoteles lib. 1. Met. c. 1. Item
post pauca γίνεται δὲ τεχνὴ, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας
ἐνοημάτων καὶ θόλῃς μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις.
Pro Decisione † itaq; quaestioni tenetur, distinguendum esse in-
te. primam artium inventionem, & inventæ cognitionem atq; emendam.

B

A. illam

Ad illam necessariò requiritur experientia, & verum est, quod habet
 Philosophus lib. 4. mai. Met. c. 1. ex sensu memoriam, ex memoria ex-
 perientiam, ex experientia artem generari. Ad hanc simpliciter ne-
 cessaria experientia non est. Quandoquidem ad cognitionem præcep-
 torum nulla indigemus experientia. Potest enim qui perfecte & complete
 cognoscere singula & universa ad artis constitutionem & perfectio-
 nem necessaria absq; omni applicatione universalium ad singularia:
 siquidem artis cognitio in universalibus, non vero particularibus con-
 sistit. Si verò aliquis in theoria illa & cognitione quiescere non velit,
 sed illam in actum quoq; deducere, is sane facere nequit, quin ad ipsa
 particularia descendat, & universalem cognitionem ad singularia ap-
 plice. *Viae lavelum l. 1. Metaph. q. 6. Fonsecam l. 1. Met. c. 1. q. 4.*

QVÆSTIO IV.

An omnes actiones sint singularium.

1. Trifariam ¶ hoc ζήτημα consideratur, uti videre est apud
 Fonsecam l. 1. Metaph. cap. 1. q. 5. 1. An omnes actiones orian-
 tur à singularibus tanquam ab agentibus? 2. An omnes actiones ex-
 erceantur in singularibus. 3. an omnes actiones erminentur ad sin-
 gularia. Ad primum sensum quod attinet. Fonseca asserit & dicit, o-
 mnes actiones originem suam trahere per se ab agentibus singularibus
 per se existentibus. Nihil enim per se agit, nisi quod per se existat. Nihil
 autem omnino per se existit, nisi singulare cum cuncta universalis
 per singularia sua existant.

2. Opinio ¶ Fonseca altera sic se habet: omnes actiones recipi per se
 in singularibus sua vi & natura existentibus. Recipere enim per se acti-
 onem nihil aliud est, quam illam in se non ratione alterius sustinere, hoc
 verò prestari non potest, nisi ab his, quæ vi propria existunt, quandoqui-
 dem res cuncta egent aliquo, ut sustineantur: nihil enim per se reci-
 pit actionem nisi sit singulare propria vi existens. Exempli gratia
 frigus aquæ non recipit per se actionem qua intenditur aut remittitur,
 quia sustinetur ab aqua: sed aqua est, quæ eiuusmodi alterationem pa-
 ritur ac sustinet.

3. Tertia ¶ Fonseca sententia sic habet: omnes actiones quæ cognitio-
 nes non sunt, versantur per se circa singularia sua propria vi existentia
 B. g. qua-

E.g. qualitates sensibiles non sunt agentia ipsa per se, sed tantum rationes agendi. Ergo nec sunt ipsa appetibilia per se, sed rationes appetendi. Neque enim ulla reperitur ratio, cur ille suapte natura maiorem vim habeant, ut appetantur, quam ut agant.

Sunt tamen nonnulli, quibus Fonseca opiniones minus placent, illas negant, simulque ad primam respondent sententiam dicentes, hoc verum non esse, quando dicitur, nihil omnino per se existere nisi singulari: Licet enim universalia non seorsim extra singularia, sed in ipsis singularibus existant: inde tamen non sequitur, quod per se non existant, quatenus sunt substantia: cum omnis substantia sit ens per se existens. Unde colligunt actiones singulares proficisci quidem per se à substantiis singularibus, universales autem ab universalibus. Hoc videre licet in doctrina physica, in qua sicut substantie, ita etiam actiones tantum universales eorundem considerantur.

Ad secundam tamen & tertiam opinionem respondent, illam non esse simpliciter veram, uti ex sequentibus rationibus luculenter apparet. 1. Intellectio, & actus præceptoris & discipuli versantur non tantum circa singularia, sed maxime circa universalia, 2. obiecta sensus, quatenus docentur, considerantur ut universalia non ut singularia, 3. ipsemet Philosophus l. 2. Rhetoric. c. de amore & odio expressis scribit verbis, iram ab odio in eo distingui, quod ira tantum exercetur adversus substantiam singularem puta Socratem, Petrum aut Paulum; odium vero adversus substantiam etiam universalem, puta machos, sycophantas, latrones, parasitos & similes.

QVÆSTIO V. Quæ sit causa calus foliorum.

Quotidiana tamen nos edocet experientia, singulis autumnis arborum folia decidere, in Vere autem renasci; de causa huius rei non immerito queritur.

Nos tamen eam referimus ad frigus externum poros corporis constringens & coarctans, quibus constrictis & obstructis nulla amplius materia pro foliorum conservatione advehi potest: materia denegata folia sponte decidunt & ceu emori coguntur: unde quod citius aer sit frigidior, eo citius folia decidunt, quo diutius vero calor salu durat & magis, eo etiam diutius arbores folia sua retineant.

9. Atq; † hinc in Buxo, Iunipero & alijs arboribus nonnulli folia
non decidunt, eò quod magis retinentur frigori, porosq; suos obstrui
& constringi non patiantur, per poros autem apertos semper succum ad
folia, ut conseruentur, deserant.

4. Eadem † quoq; est ratio quod folia mutantur ratione coloru, ut
primitus colore summe viridi tincta, postmodum penitus fiant flava: pro-
ut enim materia ab arbore ad folia delata à circumstante vel calore
vel frigore externo mutatur. ita quoq; color foliorum qualitate ma-
teriae insequens mutatur: tempore autem verno, quando calor solis pe-
ros terra per hyemem cōstrictos; atq; sic etiam poros arborum aperit ma-
teria & succus ad partes exteriores protrahitur, sicq; folia renascuntur.

QVÆSTIO VI.

An ante primorum hominum peccata ge-
neraverit terra rosas cum spinis,
an sine spinis.

6. Ex veteribus † patribus sunt multi in ea opinione, ante proto-
plasterū lapsum genitas & in lucem productas fuisse rosas absq; spinis &
dameis. D. Basil. homil. 5. Hexam. D. Ambro. lib 3. Hexam.
c. 9. & 11. Beda & Rabanus in Genesin & alij.

2. Huius † opinionis rationem in saevi firmissimam & non contumendam
in medium producant, nimirum quod Deus optimus maximus Adamo
post peccatum commissum Gen. 3. dixerit, spinas & tribulos terram ei
germinaturam. Unde rectissime colligi videntur, tribulos & spinas pro-
pter peccatum commissum in penam & vindictam hominum à Deo su-
isse creatas. Augustinus l. 1. de Genes. contra Manich. c. 3. &
D. Damascenus l. 2. orthod. fid. c. 10. calculo quoq; suo hanc
approbant opinionem.

3. Reperiuntur † Contra non pauci, qui in alteram inclinant sen-
tentiam existimantes, rosas statim à prima creatione & origine fuisse
adnatas spinas & tribulos: cum id natura & genuina rosarum proprie-
tas & conditio postulet, sine qua illas omnium rerum conditor & con-
servator efficere nec debuit nec voluit. Rosa enim nascitur spina verius
quam frutice in rubo quandoq; proveniens ait Plinius lib. 24.
cap. 4. N. H.

HAB

Hanc † opinionem, priore repudiata vel per u. mutata recepit
D. Augustinus l. 3. de Gen. ad litt. c. 18. & l. 83. quast. q. 38.
M. Albertus in sum. 2. part. tract. 11. q. 57. m. 3. D. Thomas
part. 1. q. 69. art. 2. ad 2. & in 22. q. 164. art. 2. ad 1. ubi ait, dixisse
Deum, terram germinaturam Adamo spiras, non quod eas ante il-
lus peccatum non germinasset, sed quia nisi divinum violasset imperi-
um, haut quaquam ei in penam & laborem cessissent, quemadmodum
etiam in statu innocentiae procreasset terra herbas noxias, quae tamen
homini minimè nocuissent.

QVÆSTIO VII.

Cur non omnis omnia ferat tellus?

Respondemus † non terra omnes omnia ferre possunt. Ratio est in-
promptu, quia non omnibus partibus terra eadem gerendi & produ-
cendi vis à Deo natura auctore & conservatore concessa est, nec omnes
eodem aspectu aequalive influxu iuvant sidera, neque omnia, quae è terra
nascuntur, eandem soli naturam & conditionem requirunt.

Præter hæc † causas est etiam alia, quam divina providentia pe-
culiari modo considerasse videtur, ut Theodoretus existimat serm. de
provid. N. mirum sapientissimus Deus voluit, ut quibus una regio ob so-
li fecunditatem abundat, eisdem alia ob sterilitatem indigeret, ut isti-
usmodi auxiliorum necessitate societas in utraque amicitia inter homines
iungeretur. Sicut enim saturitas & nullius egens affluentia benevolen-
tiam aliorum spernit, sic paupertas & indigentia, dum exterorum com-
mercij necessaria procurat, reciproca charitatis connectit vincula.

QVÆSTIO VIII.

An spermaticæ partes carnosæ sive sanguine-
is sint frigidiores?

Quamquam † in scholis Medicorum sit usitatissimum & decanta-
tissimum, quod partes carnosæ spermaticæ calidiores sint: nonnulli ta-
men ex neotericis, inter quos facile primas tenet Iobertus in pa-
rad. decad. 2. parad. 7. & in apologia ibidem, sunt reperti qui

De dubium hanc questionem vocare non sunt veriti, moti rationibus subsequentiibus.

Principiata † assumunt naturam principiorum. At qui semen, & quo partes spermaticae originem suam trahunt, est corpus calidissimum. Semen enim Hippocrati dicitur igneum & acreum, sanguis vero frigidus & aqueus: Ergo partes spermaticae sanguineis sive carnosis sunt calidiores. 2. Quo quid magis in corpore humano est reconditum & abstrusum, sed etiam est calidius: hac enim ratione nativus & insitus calor ab iniurijs externis non leditur, sed in seipso crescit & augetur. At ossa ceteraq; corpora, ex semine generata sunt recondita, abstrusa & carnis indig; obvalata. Erga sunt calidiora. 3. A frigiditate. Partes ex semine generatae facillime corrumpuntur: Ergo calidas esse oportet. Contraria enim in se mutua agunt, alterumq; alteru destruit & corrumpit, 4. Operationes partium spermaticarum sunt vehementissima. Venterculus membranofus cibos crudos tenuat & insatiabiles coquit: ossa durissima suum alimentum alterant, & in substantiam vertunt & mutant. Ergo calidae sint necessum est.

Fulcimenta † opinionis dicta audivimus, quibus nos ratione moveretur nulla, ut potius in contrariam cum Hippocrate, Aristotele, & Galeno eamus sententiam, partes ex sanguine generatas, ad quod nutriantur, augeantur, restituantur, citissime uniantur, imo optimo & calido sanguine alantur, calidiores spermaticis partibus esse intrepide asserimus.

Pro solutione † argumentorum in partem contrariam adductorum dicimus, distinguendum esse inter partes crassiores & frigidiores, atq; inter spirituosas & calidas. Quod ad rationes Ioberti oppositas atinet, dicimus illum loqui non de nativo seu innato calore, sed tantum insuente & extrinsecus adveniente, & sic animas illius ipsiusq; affectuum rationes & assertiones in sumum abeunt.

QUAESTIO IX.

Quare fortuna dicatur adversa virtuti inimica sapienti, dementi vero amica.

Nil † vulgariius, nihil astratius hac querela hominum, nimirum quod fortuna cum virtute non consentiat, sapientiae repugnet, pessime ad summos dignitatis exibat gradus, deprimat & deturbet contra bo-

was.

nos, stultū faveat illosq̄ foveat. Fortuna enim nimium, quem foret, stultum reddit, ait P. Syrus.

Vi hanc opinionem defendere possint, duas producant rationes. 1. Simile per naturam suam simili favet: Fortuna est improba, stulta & demens: Ergo non immeritō sui consimilibus favet illosq̄ foveat, & tuetur.

2. Astrologi, qui alias more solito astrū omnia ascribunt, tribuunt id viribus planetarum, influentijs calistibus, presertim verō coniunctionibus Saturni & Iovis.

Opinio t̄ verō contraria nobis magis arridet, nempe fortunam virtuti non adversari, sed ei favere interdum. Quam sententiam nostram hoc syllogismo confirmare possumus. Quodcumq̄ alicui secundum quid & per accidens tribuitur, illud simpliciter & per se illi non est attribuendum: A qui fortuna per accidens competit, quod virtuti adversetur, sit sapienti inimica, dementi v. amica: Ergo fortuna per se & simpliciter hoc non est ascribendum. Minorem probamus: viri enim sapientes & probi sola animi bona magnificiunt, corporis & fortunæ bona interim succipiunt, ut Thales per scientiam astronomicam prævidens futuram sterilitatem olei, sine omni labore sua sapientia ditari potuisset, si voluisset Aristoteles l. i. de Republ. Quod itaq̄ fortuna bonis interdum careant. Id non fortuna per se sed sibi ipsis imputare debent. Improbi contra quia opes magnificiunt, divitias diligenter fundant, & sapienter hæc fortunæ munera per fas nefasq̄ corrādunt. locupletissimi evadunt.

Nostra stante sententia Respondemus ad 1. rationem sententia affirmativæ, esse ibi fallaciam causæ. Non enim propterea improbi & stulti sapius quam sapientes abundant fortuna bonis, quia ea ipsis similis est: sed quia ista magis quam sapientes affectant.

Ad 2. R. Astrologos hallucinari: stella enim sunt causæ communes, quæ communiter cuncta fovēt; quod a. hic sit probus, ille improbus; hic inops, ille locuples; hic doctus, ille indoctus; hic sapiens ille insapiens; hoc inquam sideribus, quæ natura sua universali in hæc inferiora agunt, corporaq̄, non animos suo lumine & motu formant minime assignandum est, sed causis proprijs ac propinquioribus.

QVÆSTIO X.

An funera aliquo apparatu instituenda.

Notum

1. Nunc ¶ est omnibus, qui μυσθῶν πλάσματα & historias
primariis tantum gustarunt labijs, varios fuisse olim & pene innu-
meros apud diversos populos sepeliendorum mortuorum servatos ritus
& apparatus. Inter illos autem duo potissimum familiam ducunt, ac
litteris monumentisq; auctorum sunt famosissimi. Humatis nimirum &
combustio: quarum utramq; Romanis in usu fuisse reperimus, & qui-
dem ad exemplum Græcorum, ac imprimis Atheniensium, à quibus
plerasq; non solum leges sed & ritus ac ceremonias multas acceperunt.

2. Hos ¶ enim jam inde à Cecropis primi ipsorum Regis tempesta-
te mortuos suos terrâ condidisse. Cicero auctor est lib. 2. de leg. Nam
& Athenis iam ille mos à Cecrope ut aruit, permansit corpus terrâ
humandi: Atq; Cecropem hinc Atheni in Minervio terra mandatum
ex Antiocho refert Arnobius lib. VI. adversus gent.

3. Quod combustio sive crematio apud Græcos quoq; in usu fuit,
auctor est Thucydides, ubi de peste, quæ suo tempore Athenas infeco-
rat, sic loquitur inter alia, ἐπὶ πυρᾶς γὰρ ἀλλοτρίας φθόσσαντες
τῆς νοσήσαντας οἱ μὲν ἐπιθέντες τὴν ἑαυτῶν νεκρὸν ἐφῆπτον:
οἱ δὲ καὶ ἄλλοις ἀλλὰ αἰνῶθεν ἐπιβαλόντες ὃν φέροισεν ἀπῆσαν
&c: quem locum Lucretius ita reddidit lib. VI.

Namq; suos consanguineos aliena rogorum
Insuper extructa ingenti clamore locabant,
Subdebantq; faces multo cum sanguine sæpè
Rixantes potius, quam corpora deferrentur.

Huius rei etiam testem supernumerarium facimus Platonem, apud
quem Socrates Venenum haustus sic loquitur in Phædone: ἴνα καί-
των ῥᾶον φέρῃ, ἢ μὴ ὄραν μὲν τὸ σῶμα ἢ καὶ ὀμῶρον ἢ καπο-
ρυτῶμῶρον ἀγαπακτῆ ὑπὲρ ἐμοῦ, ὡς δεῖνὰ ἄτλα παχὺ ῥῶρος.
Hoc est, ut Crito facilius ferat, & videns corpus meum aut committi
aut humo mandari, meam vicem minime indignetur, quasi acerba
quedam passus fuerim.

4. De græci ¶ quantum res postulare videbatur, peregrinus: ad Ro-
manos igitur iam stylum convertamus, quos utrumq; hunc ritum usur-
passe disertè scribit Plinius lib. 7. c. 54. N. H. Ipsum cremari, in-
quit, apud antiquos non fuit veteris instituti, terrâ condebantur. At
postquam longinquis bellis obrutos erui cognovè e (noletur causa)
tunc institutum. Et tamen multa familiæ præscos servavere ritus: si-
cut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus, idq;
voluisse

voluisse, veritatem talionem, eruto G. Marj cadavere. Cicero lib. 2. de leg. huius ritus quoque meminit, ubi inter alia scribit, Syllam primum e patricijs Cornelijs igne voluisse cremari. Hactenus de Romanis.

Gallis † etiam & Germanis nostris olim alijsque septentrionalibus populis hanc *νεκροκαυσία* fuisse usurpatam, memoria tradidit Caesar lib. 6. belli Gall. Tacitus in German. & Eustath. iliad. 4. 5.

Econtrario † autem *νεκροκαυσία* hanc Aegyptij Persae, multisque alij populi improbarunt: quorum primi existimarunt, ignem esse animatam beluam, quae quicquid nanciscatur, devoret ac consumat, quando vero ex saturata sit, simul cum eo, quod devoravit, moriatur, Persae vero ignem pro Deo colebant ac venerabantur, & ideo humana corpora Deo consumenda obijcere, nefas censebant. Legatur Herodotus in III. Musa, in qua de Persis & Aegyptijs multa commemorat. 6.

Hircani † mortuos suos canibus obijciebant, de quibus vide Cael. Rhod. l. 9. cap. 47. 7.

Moscovita † per annum mortuos loculis conditos in fornicato aliquo coenaculo asservant, antequam eos terra mandent. Reinhol. Heidenst. de bello Moscovit. lib. 5. 8.

Diogenes † Cynicus amicum iussit projicere inhumatum, bacillo tantum apposito, quo volucres & feras aligere posset. Cic. lib. 1. Tusc. Stob. serm. 122. Theodorus Philosophus dicere solitus fuit, nihil interesse humine an sublimi putrescat Cic. 1. Tuscul. Anaxagoram Lampfaci morientem querentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri: Nihil necesse est, respondet, Undique enim ad inferos tantundem via est, Cic. Ibid. 9.

Albani † putarunt nefas esse, si curam mortuorum agerent, Sabaei corpora defunctorum eo, quo stercus & finus, modo ducebant. Cassan. p. 2. confid. 5. 10.

Magnificas † exequias in conspectu hominum dubio procul, diviti illi epuloni exhibuit turba famulorum & famularum, sed multo splendidiore in conspectu Domini ulceroso illi Lazaro exhibuit ministerium Angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium. Augustin. lib. 1. de civit. Dei c. 12. 11.

Vt ut sit tempestate pacis sepultura cura non plane est contemnenda & negligenda. Sepultura enim honorifica carere, *τεκμήριον* *divinae* 12.

C

divinae




divina in nos est ira, quemadmodum sacrae passim testantur litterae,
Patriarcha & alij sancti sunt nobis exemplo, imo ipse Christus gloriose
sepeliri voluit. Cimon Miltiadis filius se captivum exhibere non dubita-
vit, saltem ut pater terra mandaretur Lilius Gyraldus de varijs
sepeliendi ritibus. Camer. p. 2. med. hist. 64. Si hoc geni-
les fecerunt, quid quaso nos, quibus spes de corporum resurrectione?
Formicae quoque sepeliuntur inter se, teste Plinio lib. II. N. H. c. 30.
Si hoc irrationalia animalcula, quid nos ratione praediti?


13.

Sumptus vero sepulchrales sint moderati. Quid enim profi-
cit sepulchrorum superbia, damna sunt potius viventium, quam subsi-
dia mortuorum, ait D. Ambrosius, sed de his sativ. Plura de hac
quaestione qui scire desiderat, legat Kirchmannum
in libris de Funeribus Roma-
norum.



AD





1842

(6110)

TA-OC

ULB Halle


3

007 378 211



1017







B.I.G.

Farbkarte #13

D. O. M. A.
DISPVTA TIO SEPTIMA
Centuriæ septimæ


QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM PHILOSO-
PHICARVM,

In incluta VVittebergensi Academia
proposita,

PRÆSIDE
M. IACOBO MARTINI LO-
gic. Profess. P. & p. t. Facult.
Philosoph. Decano,

RESPONDENTE
IOANNE IEGER
Tyrigeta

9. Calend. Decembris horis locoq̄ consuetis



WITEBERGÆ,
Excusa per M. Georgium Mullerum, Sumptibus
Pauli Helvvigij Bibliop.

